

J

AD
IVLII PAVLLI,
EX
LIBRO SINGVLARI
DE
IVRE SINGVLARI,
RELIQVA,
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV,
PRAESIDE
D. FRANCISCO CAROLO
CONRADI,

AD D. VI. FEBRVAR. *ch* *h* *cc* XXVIII.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CHRISTIAN. GOTTLIEB SCHVLZE
MARCKLEBERG. MISN.

LIPSIÆ

LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.



PERILLVSTRI
EXCELLENTISSIMOQVE
DOMINO,
HENRICO DE BÜNAV,
DYNASTÆ IN DAHLEN
ET DOMSEN,
SERENISSIMI ATQVE PO-
TENTISSIMI POLONIARVM
REGIS ET SAXONIÆ ELECTORIS SVMMI
SENATVS ECCLESIASTICI PRÆSIDI, SACRI
CVBICVLI REGII CLAVIGERO, AVLÆ IV-
STITIÆQVE ET APPELLATIONVM
CONSILIARIO, IN SVPREMA CVRIA
PROVINCIALI LIPSIENSI
ASSESSORI,

PERPETVAM FELICITATEM,

PERILLVSTRI
EXCELLENTISSIMOQUE
DOMINO
HENRICO DE BAVARIA
DYNASTAE IN DALHEIN
ET DOLESIN
SERENISSIMI ATQUE PO-
PULISSIMI POLONIA-
RUM ET SACCIAE REGNI
SENATUS ELECTORUM TRASILI, SACRI
CYRILLI REGNI CLAVARIO, AVE IV-
DITIORE ET ABBATIALE
CONSILIARIO, IN SVBTERNA CURIA
PROVINCIALI DIPENSARI
ASSISTENTE

REPETITAM RECYCLETAM



PERILLVSTRIS
EXCELLENTISSIMEQVE
DOMINE,

Sola Gratia TVÆ fiducia,
libellum tenuem ac leuem &
qui, dum iura singularia
tractat, ipse non est singula-
ris, ad TE deferre audeo.
Hanc mihi fiduciam adii-
ciunt tum summæ TVÆ, quas cum Erudi-
tione admirabili coniungis, Virtutes aliæ,
tum incredibilis Comitatus, quam & nuper co-
ram

ram suspicere ac venerari mihi licuit. Auget fiduciam supremum illud Præsidium, quo non bonas literas minus, quam rem Ecclesiasticam, sacra vice gubernas, amplificas ac tueris. Accipe igitur placidissimo vultu exiles has studiorum Academicorum primitias, utque una cum his clientelæ TVÆ me totum, spesque & fortunas meas deuotissima animi pietate subiiciam, permitte. Sic in sublimi salutis publicæ specula Patriæ, literis, clientibus & mihi affulgeas perpetuo Felix & Bonus.

PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

cliens subiectissimus

CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHVLZE.

CONSPECTVS
DISSERTATIONIS
AD
IVLII PAVLLI, EX LIBRO
SINGVLARI DE IVRE SINGVLARI,
RELIQVA.

*Præmium, quo præcipue frag-
menta libri singularis de iu-
re singulari indicantur.*

*FRAGMENTVM I. est L.
16. ff. de Legibus.*

*Id continet definitionem iuris
singularis. Veterum Iuris-
consultorum studium in col-
ligendis & explicandis regulis
Iuris; hinc PAVLLI diligen-
tia, in tradendo iure singulari,
laudatur, §. I.*

*Qua methodo vsus videatur
PAVLLVS in hoc libro sin-
gulari, §. II.*

*Quodnam ius singulare in illo
proposuerit? Constitutiones
personales & privilegia esse
iura singularia, & quomodo
inter se differant, §. III.*

*Ius singulare discernitur a con-
stitutionibus personalibus & a
iuribus singularibus, quæ di-
cuntur privilegia, §. IV.*

Definitio iuris singularis expli-

*catur. Tenor rationis
quid? & quare ita dican-
tur regule Iuris? §. V.*

*Modi introducendi ius singulare:
& a quibus introducatur?
§. VI.*

*Ob quam causam introducatur
ius singulare? Utilitas, quid
significet? Est utilitas vel
necessitas publica. Idem est
ac ratio gravis. Utile, vel
utilius esse, quo sensu dica-
tur? §. VII.*

*Utilitas quoque dicitur pro
æquitate, §. VIII.*

*Quotuplex est significatio utili-
tatis, tot iuris singularis cau-
se, §. IX.*

*Ius singulare non est producen-
dum ad consequentias, & qua-
re? potest tamen applicari
in causa simili, & quomodo?
§. X.*

*Virumque comprobatur exem-
plis, §. XI. XII.*

FRAG-

FRAGMENTVM II. est
L. 63. ff. de usufructu.

Obscuritatis vitium PAVLLO
obiectum, ab hoc fragmento
auertendum, §. I.

Enuntiatio iuris singularis contra
regulam iuris, ex hoc
fragmento formata, §. II.

Proprietarius quo sensu negetur
habere usufructum rei fru-
ctuarie? **Distinctio usufruc-
tus in causalem & forma-**
lem explicata, §. III.

Proprietarius neque causalem,
neque formalem usufruc-
tum habet ex sententia
PAVLLI. Interpretationes
contrariae notatae, §. IV.

Cedere, quid? Cessionis duplex
significatus & dispares esse-
ctus. **Proprietarius quomodo**
cedat usufructum? §. V.

Ratio huius iuris indicata, &
quomodo procedat ista usus-
fructus cessio, quae sit a pro-
prietario? §. VI.

Concessio expectatiuae feudalis
& inuestitura abusiva cum
hac usufructus cessione com-
parantur, §. VII.

FRAGMENTVM III. est
L. 54. ff. solut. matrim.

Beneficium competentiae est
ius singulare: quibus datur?

ob quas causas? & in quo
consistat? §. I.

Regula beneficium competentiae de
computatione eius, quatenus
quis facere potest. **Quare**
extet hoc fragmentum illo tit.
ff. causa redditur, §. II.

Ius singulare beneficium compe-
tentiae in donatore: quale sit?
unde originem habeat? §. III.

Ratio duplex eius iuris singu-
laris, ex parte donatoris &
creditorum eius, §. IV.

Id ius singulare donatori compe-
tit, conuenio ex donatione,
quae debet esse vera & sim-
plex, §. V. & ab ipso, qui
conuenitur, facta. Neque
competit aliis, forte ob con-
miserationem, §. VI.

Beneficium competentiae locum
habet etiam contra rem iudi-
catam: non item contra vin-
dicationem rei donatae, §. VII.

Ius singulare istius beneficium
cessat, conuenio donatore,
qui pluribus ex donatione
debet: neque tamen cessat
ob renuntiationem donatoris,
in praediuicium creditorum.
Renuntiatio donatoris & ob-
latio donatarii ad alimenta
quid operentur? §. VIII.



AD
IVLII PAVLLI,
EX
LIBRO SINGVLARI
DE
IVRE SINGVLARI,
RELIQVA.



Emo Iuriscultorum veterum diligentiæ laude ac numero librorum ad gloriam affurgit IVLII PAVLLI. Post viginti quatuor volumina maiora, enumerantur in Florentino indice libri eius singulares quadraginta & septem, quibus addendi sunt octo alii, quos inscriptiones legum præferunt. Inter libros singulares est, cuius reliquias illustrare conabor, liber DE IVRE SINGVLARI. Superfunt eius in Digestis fragmenta non, nisi tria :
A primum

primum in l. 16. de Legibus, alterum in l. 63. de vsufr. tertium in l. 54. solut. matrim. Illud definitionem iuris singularis, istud & postremum exempla sistunt. Qui loca hæc novit, ei non superstitiosa videbitur diligentiae, quam iniui, ratio. Pauca sunt & concisa, eoque specimini Academico aptiora. Utinam vero mihi vel aliquid inuenire detur, ex quo nonnullam in disciplina iuris operam collocasse intelligar: utinam mihi scribenti excidat nihil, quod indignum videatur acumine IVLII PAVLLI.

FRAGMENTVM I.

Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium, introductum est. L. XVI. ff. de Legibus.

§. I.

MOre veterum & suo PAVLLVS præmittit definitionem iuris singularis, de quo egit ex præscripto, & cuius exempla collegit in hoc libro singulari, qui utique annumerandus est illis Iurisprudentum libris, quibus tum ingredientibus studium iuris, tum in foro versantibus, atque in rerum actu occupatis, consultum esse voluerunt. Hæc enim fini sicut breues iuris regulas, summo studio traditas, collegerunt atque interpretati sunt peculiaribus libris, quales composuerunt NERATIVS PRISCVS quindecim, POMPONIVS vnum, CERVIDIVS SCÆVOLA quatuor, CAIVS vnum, MARCIANVS quinque, MODESTINVS decem, LICINIVS RVFINVS duodecim, VLPIANVS, & plane similiter PAVLLVS meus, libros septem, atque vnum

vnam singularem: ita exempla iuris singularis, quod recederet a regulis iuris communis, & in quo illæ perderent officium suum, vel exceptiones, vno corpore proponi, e re videbatur esse iuris studiosorum, & in foro versantium. Magna diligentia regulas illas, id est breues definitiones, positiones, vel enunciationes, quibus, quid quaque de re iuris sit, breuiter enarratur, *l. 1. ff. de R. I.* olim concinnabant & proponebant Iurisconsulti, etiam in hoc more imitati exemplum Stoicorum, de quo DIOG. LAERTIVS in Zenon. *ARRIANVS lib. 1. cap. 20. SENECA lib. 1. de benefic. cap. 3.* Vid. EM. MERILLIVS, *observat. lib. 1. cap. 10.* ut quædam generalia præcepta, & communes notiones, breuia quædam, & ad rem quamque iurisque quæstionem resolvendam, decidendam, apposita subsidia darent, ac velut Lydium lapidem porrigerent: quippe non memoriam tantum iuuare, sed iudicium præsertim æqui bonique notitia informare, ac dirigere volébant. Quoniam vero ius, ex quo regulæ sumuntur, *d. l. 1. de R. I.* non adeo semper est idem, prorsusque sui simile, quin ex ratione singulari quandoque a tenore communi & a regulis istis generalibus abluat, sitque diuersum: vtilem profecto & necessariam operam nauavit PAVLLVS iuri singulari enarrando, qualem operam nemo suscepit e reliquis Iurisconsultis, quantum constat.

§. II.

Videretur autem, quoad exiguæ, quæ præ manibus sunt, reliquiæ nos coniectare sinunt, hoc libro singulari ita tractasse iura singularia, ut, vel præmissis regulis iuris communis, vel facta antithesi, seu brevi positione, iuris communis positionibus contraria, statim exempla, quæ a regulis discederent, breuiter subiiceret, atque explicaret. Sic in fragmento secundo, quod est *l. 63. de usufr.* forte præmiserat regulam iuris: *Nemo ius, quod ipse non habet, in alterum transferre potest, l. 54. l. 120. ff. de R. I.* certe proposuit antithesin, quæ his verbis extat: *Quod nostrum non est, transferemus*

feremus ad alios. Deinde subiecit exemplum, quod eo pertinet, domini scilicet, qui, licet vsumfructum non habeat, tamen vsumfructum fundi sui cedere potest. Sic in fragmento tertio, quod est *l. 54. ff. solut. matrim.* regulam iuris, quod *facere posse quis intelligitur, nullo deducto ære alieno, l. 173. ff. de R. I. l. 16. ff. de re iud.* declarat exemplis, statimque subneçit ius singulare in donatore, qui, ex donatione conuentus, facere posse dicitur omni plane deducto ære alieno. Hos ex vberissima messe superstites manipulos a falce TRIBONIANI, nec omnino integros, transmisit ad nos verustas, quos nobis seruatos, nec cum aliis tot Nostri libris singularibus, quorum tantum nomina custodiuit index Pandectarum, penitus intercidisse, merito gratulamur.

§. III.

Sat manifesto tamen sunt indicio vel hæc portiunculæ, quodnam ius singulare isto libro complexus fuerit PAVLLVS, & quomodo proposita definitio iuris singularis recte sit accipienda: vt ne privilegia certis personis, vel certo personarum ordini, aut conditioni, itemque certis causis data, quoniam iuris singularis instar habent, cum eo, quod PAVLLVS tractat, iure commisceamus. Accurate Iurisconsultus præstantissimus, IO. STRAVCHIVS, in *Dissert. de Constitutionibus Principum* th. 28. 29. 30. & in *Diss. ad vniu. Ius Iustin. I. th. 8.* distinxit inter priuilegium, constitutionem personalem & ius singulare, quæ inter se discrepare singula, monuit quoque Vir Summus, IAC. GOTHOFREDVS ad *l. 162. ff. de R. I.* Scilicet & priuilegia, & constitutiones personales, quatenus concessa sunt contra leges generales, quæ sunt *commune*, ad omnes subditos pertinens, *preceptum*, iuris singularis nomine recte comprehendendi possunt: at non vicissim omne ius singulare, atque adeo ius etiam illud anomalon & a regula iuris exorbitans, priuilegium, aut constitutio personalis dici potest. Constitutio personalis est ius priuum, quod in singulis personis simul oritur & occidit, quale olim in Republ. Romana libera

libera, lege XII. tabularum, sub *priuilegii* nomine ferri prohibebatur, nec alio sensu dicitur, quam *rescriptum personale* in l. 5. C. Th. de itin. mun. est constitutio, quæ personam non egreditur, nec ad exemplum trahitur, qua Princeps alicui ob merita indulget, vel quam pœnam irrogat, vel sine exemplo subuenit, definiente VLPIANO, l. 1. §. 2. ff. de Const. Princ. Priuilegiorum deinde nomine iura quædam singularia appellari solent, quæ certo personarum ordini, statui & conditioni, certisque causis conceduntur. Ita pupillorum, militum, studiosorum, clericorum, piæ causæ, fisci, doctorum, Principis, absentium, creditorum quorundam iura, dicuntur priuilegia; quemadmodum priuilegia quædam causæ esse, quædam personæ, MODESTINVS auctor est in l. 196. ff. de R. I. Est itaque constitutio personalis priuilegium, sed priuatum, vt est in l. 4. C. Th. de itin. mun. Est etiam ius singulare, quod non singulis, sed certæ singulari personæ, causæ, ætati, sexui, dignitati, corpori, vtilitate publica suadente, fertur, est hoc, inquam, priuilegium, verum commune, certa contemplatione dignitatis vel conditionis datum l. 16. C. Th. de extraord. sue sord. mun. iuris communis beneficium l. 25. C. Th. d. t. cui personæ conditio locum facit, aut genus actionis, vt loquitur PAVLLVS in l. 68. ff. de R. I. vid. IAC. GOTHOFREDVS ad LL. XII. Tab. not. ad tab. 9. & ad l. 169. ff. de R. I.

§. IV.

Ergo, si rationes recte subducimus, constitutio personalis, siue priuilegium priuatum, est ius singulare quidem intuitu personæ, cui fertur, quam non egreditur, in qua, vt dictum est, simul oritur & occidit; at ius singulare, sensu, quo PAVLLVS vtitur, est singulare propter rationem iuris, quam a regulis iuris communis exorbitantem habet; ceterum non ad personas certas, sed ad ciues vniuersos spectat. Porro constitutio personalis datur ob fauorem vel odium singulare personæ alicuius: ius singulare vtilitatis, vel necessitatis publicæ causâ, vel ob rationem singularem

& æquitatem constituitur, aut recipitur. Priuilegia quoque, quæ dixi communia, seu publica, sunt proprie singularia iura, habentque rationem singularem & causam fauoris publici, vel necessitatis: at respiciunt tamen statum & conditionem certam personarum, vel causæ, suntque subordinata iuri communi & illius rationi, quam applicant personis, vel causis idoneis. Ius singulare seorsim agit a iuris communis ratione, atque derogat iuri communi, & contra tenorem rationis, i. e. regulam iuris, fertur, non tam intuitu certæ conditionis personarum vel causæ, quam, quia publica necessitas vel utilitas poscit, aut, quia ratio vel æquitas singularis occurrit in certa specie, quæ secum ita fert, ut a rigore iuris ordinarii discedatur.

§. V.

Hoc omnino sensu PAVLLVS definiuit ius singulare. Ait: *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis introductum est.* Dicit *Ius*, hoc est, non minus commune præceptum, quam lex est *l. 1. ff. de Legib.*, quatenus non in singulas personas, sed generaliter constituitur *l. 8. ff. de legib.* sed ad vniuersos pertinet, quamuis introductum sit contra tenorem iuris, id est, aduersus regulas iuris communis, *παρὰ νόμον* *νόμον*, vt extulit Interpres Græcus. *Rationem iuris* dicunt idem PAVLLVS in *l. 14. de LL.* & in *l. 141. pr. de R. I.* & IVLIANVS in *l. 15. ff. de LL. strictam rationem*, CAIVS in *l. 7. §. 5. ff. de A. R. D.* & VLPIANVS *Fragm. t. XXV. §. 1. rigorem iuris* MODESTINVS in *l. 19. ff. de appellat. ius strictum* Imp. IVSTINIANVS in *l. ult. C. de compensat. Rationem disputandi* vocat IVLIANVS in *l. 51. §. f. ff. ad Leg. Aquil.* Multa, inquit, *Iure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest.* *Rationem iuris & regulam iuris* coniungit IVLIANVS in *d. l. 15. ff. de LL.* In his, scribens, quæ contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris: vt adeo ratio iuris non tam sit accipienda de causa vel fundamento iuris communis, quam de ipsis

ipſis regulis iuris. Hæ enim antiquis Iuriſprudentibus ſæpius pro ratione erant, quippe per manus traditæ, ſicut erant ab initio prolatae. Regulas ipſas Iuriſconſulti ſciebant, ſed rationes plerumque ignorabant, obſeruante E. M. MERILLIO *Lib. V. obſ. cap. 34. & expoſit in L. Decis. Juſtin. ad l. 21. C. de furt. & ſeru. corrupt.* Quod per manus traditum eſt, pro regula iuris, dixit VLPIANVS in *l. 10. ff. de iure Codicillor.* Rationem vero iuris pro regula iuris & pro ſtriçto iure accipiendam, docet porro *l. 25. ff. de LL. vbi rationi iuris opponitur æquitatis benignitas*, i. e. humanitatis ratio *l. 6. ff. de appellat.* qua diſceditur a rigore & regula iuris, & quam per *mollem animum* ſignificat IVSTINIANVS in *l. vlt. C. de compenſ.* Confirmat id denique, quod tenorem rationis dicit PAVLLVS. Tenor eſt progreſſus rei & continuatio æquabilis, vnde, quæ ſui ſunt ſimilia, ſibi que veluti perpetua quadam ſuccedunt ferie, horum tenorem eſſe dicimus. Notæ ſunt locutiones: *tenor instrumenti*, *l. 8. ff. de ſtat. hom. tenor actorum*, *l. 23. C. de ſid. inſtr. tenor legis*, *l. penult. C. ad L. Aquil.* Tenor quoque eſt certa forma, modus. Hoc ſenſu dicitur *tenor iuriſdictionis*, *l. 8. C. quod met. cauſ.* id eſt, ratio & finis iuriſdictionis *l. 5. C. quando app. non eſt nec.* Sic TRYPHONINVS in *l. 28. §. pen. ff. de lib. & poſth.* vocat *tenorem ætatis*, quam formam, habitum, ætatem, conditionem ætatis vocares. Singula hæc conuenientiſſime aptantur regulis iuris. Sunt enim breues definitiones, ſui ſimiles, ſibi que conſtantes, ſunt certæ formæ iuris, quod breuiter enarrant: contra quas nihil ſingulare, absque ratione iuris, ſtatuī poteſt, quod conſiſtat *l. 39. ff. de LL.*, quæ tamen, ſi quid contra ipſarum formam & præſcriptum inducatur ex ratione ſingulari, perdunt quidem in iſta ſpecie officium ſuum *l. 1. ff. de R. I.* at nihilominus tenorem ſuum obtinent, ſibi conſtant inconcuſſæ, manentque in ceteris, in ſe non vitioſæ, Conf. IAC. GOTHOFR. *ad d. l. 1. ff. de R. I.*

§. VI.

Quod introductum est contra tenorem rationis, inquit PAVLLVS, generaliori verbo complectens modos constituendi iuris singularis. Sic MODESTINVS in *l. 25. ff. de LL.* eo verbo vtitur: *que salubriter pro utilitate hominum introducuntur.* Enimvero ius introduci dicitur lege scripta, VLPIANO in *l. 13. d. t. moribus & consuetudine*, IVLIANO, in *l. 32. pr. eod.* Similiter, cum ius singulare *introductum* dicitur, intelligimus, illud vel constitutum lege, vel receptum esse iuri civili, proprie dicto, moribus vltique. Hinc iura singularia ita effert IVLIANVS, *que contra rationem iuris constituta sunt*, *l. 15. ff. d. t.* PAVLLVS vero in *l. 14. ff. eod.*, quæ repetitur in *l. 141. pr. ff. de R. I.* ius singulare ita describit: *quod contra rationem iuris receptum est.* Sic iure singulari receptum dicitur, *l. 44. §. 1. ff. de acqu. vel am. poss. l. 23. §. 3. ff. de fideic. libert.* iure civili receptum, contra disputandi rationem *l. 51. §. vlt. ff. ad L. Aquil.* ac fere, quoties iuris singularis fit mentio, recepti verbum adhibuerunt Iureconsulti. Exempla concessit IAC. GOTHOFRED. ad *l. 141. de R. I.* Neque id mirum, cum maximam partem iura singularia ex applicatione iuris ad factum ab interpretatione vel disputatione ac responsis prudentum originem habeant, atque adeo consistant ex iure, quod sine scripto venit. Quo tamen omnes species iuris singularis, siue scripti, siue non scripti, complectatur PAVLLVS, addit: *quod auctoritate constituentium introductum est.* Auctoritas constituendi suprema est Principi, cui quod placuit, legis habet vigorem *l. 1. pr. ff. de Const. Princ.* auctoritas est Senatui, qua ius facere potest, *l. 9. ff. de LL.* etiam iuris singularis remedium auctoritate sua introducere potest *l. 2. §. 9. 11. ff. de O. l. l. 2. §. 1. ff. de vsufr. ear. rer.* exemplum est in quasi vsufructu. *l. 1. ff. d. t.* Auctoritas est Prætoris, qui, viua vox est iuris civilis *l. 8. ff. de l. & l.* eiusque est ius civile adiuuare, supplere, corrigere propter utilitatem publicam *l. 7. §. 1. ff. eod.* Auctoritas est Iuris-

Iurisprudentum, a qua ius ciuile venit *l. 7. pr. ff. de l. & l. l. 2. §. 5. 12. 17. ff. de O. l.* Auctoritas est in longa consuetudine vsitque, *l. 36. 40. ff. de LL.* & ipsa rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritas vim legis obtinet, *l. 38. ff. eod.*

§. VII.

Restat pars definitionis sane præcipua, quæ explicat causam, ob quam ius singulare plane constituitur; nimirum *propter aliquam vtilitatem.* Sic *vtilitatis causa* receptum esse, vt negotiorum gestor & is, cuius negotia gesta sunt, iniuriam obligentur, ait CAIVS, *l. 5. pr. ff. O. & A.* & idem, *propter vtilitatem* receptum esse, vt recte stipuletur pupillus, etiam si eius ætatis non sit, vt intelligat, quod agat, *l. 6. ff. rem pup. vel adol. salu. for.* Sic, *propter vtilitatem* receptum esse, vt per colonum possessio & retineretur & contineretur scribit AFRICANVS, *l. 40. §. 1. ff. de acqu. vel am. poss. & vtilitatis causa iure singulari* receptum esse, quod ex peculii causa per seruum ignorantibus possessio quæritur, docet PAPINIANVS, *l. 44. §. 1. ff. d. t. Vtilitatis ratione* receptum, vt per liberam personam ignoranti quoque acquiratur possessio, & postquam scientia interuenit, vfucapionis conditio inchoari possit, rescribunt Imperatores in *l. 1. C. de acqu. & ret. poss.* Denique, *iure ciuili, contra rationem disputandi* pro vtilitate communi multa esse recepta, inquit IULIANVS in *l. 51. §. fin. ff. de L. Aquil.* Et sic elegantius sensu dici potest

- - *Vtilitas iusti prope mater & equi.*

Porro hæc vtilitas non est alicuius priuati, sed communis, & publica, quæ publicam in quibusdam rebus iniungit necessitatem, & a iure ordinario, seu ratione & regula, seu tenore iuris recedi sæpe suadet. Et hinc ipsam vtilitatem alio loco *necessitatem* vocat PAVLLVS, *l. 162. ff. de R. l.* quæ & ius constituere dicitur apud MODESTINVM, *l. 40. ff. de LL.* Ita *propter vtilitatem promiscui vsus* in stipulationibus

B

bus

bus singulari iure receptum est, vt, quod per seruum putatiuum, bona fide possessum, ex re domini vel operis eius acquiritur, id domino acquiratur, *l. 7. §. 2. ff. de Inst. Act.* Sic propter necessarium usum argentariorum ex utilitate publica receptum, scribit PAPINIANNVS in *l. 8. ff. de pos.* vt depositarii simul admittantur, in omnibus argentarii, qui forocessit, facultatibus. Propter utilitatem publicam stricta ratio insuper habetur, *l. 43. ff. de relig.* Et quoniam ad commodum reipublice omnes leges referre oportet, & eas ex utilitate communi interpretari, vt CICERO ait, *lib. 1. de Inuent. §. 68.* hinc ipse finis legum, & ratio iuris indicatur utilitatis nomine, *l. 13. ff. de LL. l. 5. §. 25. ff. vt in poss. legat. l. 2. §. 9. ff. pro emt.* Quid? quod vile hinc, vel vilius Iureconsultis dici solet, quod maiorem habet rationem. Exempla sunt in *l. 5. §. 1. ff. si pars hered. per.* vilius est, posse eum adire, qui nescit portionem, si cetera, quae oportet eum scire, non ignoret: & in *l. 2. §. 37. ff. ne quid in loc. publ.* Est hoc vilius (scilicet teneri eum, qui in via publica factum immissum habet, quam teneri, qui fecit) quia is potest restituere, qui factum, immissum, habet. Sic & vile dicitur, statim tempora ad appellandum computari debere, nec expectari conditionem, si sententia sub conditione dicta fuerit, *l. 1. §. 5. ff. quando appell. fit.* Neque proinde mirum videri debet, si ius singulare, propter peculiarem rationem inductum, videamus, quae vtrique comprehenditur in definitione PAULLI sub nomine utilitatis: vt, circa pecuniam creditam recepta quaedam sunt singularia, *l. 15. ff. de reb. cred.* ex ratione peculiari, quod exempla ibidem posita demonstrant.

§. VIII.

Utilitatis quoque cum aequitate tanta est coniunctio, tam arcta necessitudo, vt utilitatis nomine perquam eleganter Iurisconsultis saepius veniat aequitas, honestum & vile coniungentibus; aequitas puta, quae neminem ex stricto iure damnatum sine culpa sua sentire permittit. Iura, quae salu-

bri-

briter pro vtilitate hominum constituta sunt, duriore interpretatione vel vsu contra ipsorum commodum produci ad feueritatem, non iuris patitur ratio, non æquitatis benignitas, non publicum bonum, l. 25. ff. de LL. Hinc *vtilitatis causa* receptum est, si eo mortuo, qui tibi mandauerat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione. *Alioqui iusta & probabilis ignorantia tibi damnum afferret.* §. 10. l. de mand. Et sic *vtilitas* opponitur *iuri stricto*, non minus *vtilitas* priuatorum, i. e. singulorum ciuium, d. §. 10., quam *vtilitas* publica, i. e. ciuitatis totius, l. 43. ff. de relig. Sunt enim quædam publice vtilia, quædam priuatim l. 1. §. 2. ff. de l. & l. sed tamen, quod omnibus & singulis in quaque ciuitate vtile est, refertur ad commune bonum, & intenditur iure, quod cuique ciuitati proprium est, l. 11. l. 6. pr. d. r. *Stricta iuris ratione* non liberatur, qui alii soluit, quam cui soluere debuit; *vtilitatis causa* placuit, si debitores, manumisso dispensatore Titii, per ignorantiam liberto soluerint, liberari eos, d. §. 10. l. de mand. Simili ratione, si a furioso, quem putem sanæ mentis, emero, constitit vsucapere me *vtilitatis causa* posse, quamuis nulla esset emtio, iure scilicet stricto, l. 2. §. 16. ff. pro emt. Sic, qui, posteaquam vsucapere cœpit, in furorem incidit, ex omni causa implere potest vsucapionem, non quidem stricto iure & ex regula: sed *vtilitate suadente* id receptum est, ne languor animi damnum etiam in bonis afferat. l. 44. §. 6. ff. de vsuc.

§. IX.

Propter aliquam *vtilitatem*, dixit PAVLLVS, vt significaret, a regula iuris non temere, nec sine graui causa, recedi, sed propter *vtilitatem*: vtque id generalius enuntia- ret, addidit: *aliquam*, complexus omnem, quæ *vtilitatis* nomine in iure nostro venire solet, rationem iuris singularis. Ergo ius singulare inducit *vtilitas*, vel necessitas publica, quæ est totius Reipublicæ, & in genere publicum bonum

ciuitatis; inducit quoque vtilitas vel necessitas publica, quæ redundat in commune bonum ex vtilitate ciuium singulorum; inducit porro vtilitas, i. e. ratio præstans & singularis; inducit quoque vtilitas, quæ secum fert æquitatem. His modis intellecta vtilitate, facile est intelligere ex definitione PAVLLI differentiam inter tenorem rationis iuris communis, & id, quod contra rationem seu regulam receptum est, inter *ius regulare* & *singulare*. Ostendunt etiam hæc, definitionem PAVLLI accommodari quidem posse iuribus singularibus, i. e. beneficiis legum, quæ priuilegia certæ conditionis personarum vel causæ dicuntur; sed ex mente PAVLLI eam describere iura singularia, quæ quocunque modo & ob quameunque rationem vtilem, necessariam, æquam, iustam, singularem, discrepant a regulis iuris, & aliter, quam secundum tenorem iuris, deciduntur. Confirmabunt id porro, quæ nobis restant ex enarratione iuris singularis, exempla, ad quæ nunc manum promoueo, si prius dixerim paucis de vi & effectu iuris singularis.

S. IX.

Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentia, vt extat in l. 141. ff. de R. l. siue ad consequentias, vt legitur in l. 14. ff. de LL. inquit PAVLLVS, siue non debent in argumentum trahi, vt ipse ait in l. 162. ff. de R. l. seu ad alia porrigi, vt dixit PAPIANVS l. 23. §. pen. de fideic. libert. Scilicet in ambiguis quidem, & in iis articulis, qui legibus expresse non comprehenduntur, a sententia iuris ad similia procedendum est, l. 12. ff. de LL. l. 114. ff. de R. l. sed a sententia iuris communis. Vbi vero ius speciale est, & id, quod contra rationem introductum fuit, existit, non potest vel per consequentiam, vel a simili argumentum inde deduci. Etenim sicuti in iure singulari introducendo discessum fuit a regula iuris, propter singularem rationem siue vtilitatem, sic in eodem personis vel rebus & causis applicando, siue ista singulari ratione, procedi-

ne.

nequit. Ius singulare exceptionis instar habet: exceptio vero confirmat regulam in iis, quæ non sunt excepta, *arg. l. 12. §. 43. ff. de fund. instr. & instrum. leg.* Si exceptio facit, ne liceat; ibi necesse est licere, ubi non est exceptum, ait CICERO, *pro Balbo §. 32.* Et habent hoc iura singularia commune cum constitutionibus personalibus & cum priuilegiis certæ conditionis personarum vel causæ, vt, quemadmodum neque illæ personam, neque hæc conditionem vel statum, cuius causa indulta sunt, egrediuntur, neque in ceteris ad exemplum trahi debent; sic ius, propter singularem rationem introductum, non extendendum sit ultra rationem istam; quod ubi fieret, euerteretur regula iuris, quam abrogare non erat propositum introducendo ius singulare. Quid igitur, si in simili causa obuenerit ista vtilitas, & ratio, propter quam placuit ius singulare? Nonne tunc, si idem ius, ubi eadem ratio, esse debet, *l. 32. ff. de L. Aquil. l. 9. §. 2. ff. de edend. sique ratio iuris succedit in locum legis, l. 2. C. de hered. vel act. vend. l. 2. C. de impub. & al. substit. nonne, inquam, ubi ratio iuris singularis adest, in causa simile ius singulare obtinere debet? Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est; valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat: inquit CICERO, *Topicor. §. 22.* Ergo & valeat quoque ius singulare in pari causa, ob singularem rationem & similem æquitatem vel vtilitatem: sed valeat tum demum, si omnia causæ & rationi inducti iuris singularis exacte respondeant. Neque sic produceretur ius singulare ad consequentias, aut ad alia porrigetur, si non quauis æquitatis specie, vel quauis rationis similitudine seducti deflectamus a regula iuris.*

§. XI.

Potest hic iuris singularis valor compluribus exemplis illustrari, quodque in eius applicatione Iurisconsulto tenendum sit officium, luculentius proponi. Iure singulari receptum est, vt filiifam. & serui ignorantibus patribus & do-

minis ex causa peculiari vsucapionis ius acquirant, vel vsucapionem adimpleant. *l. 3. ff. de vsucap.* commoditatis dominorum vel patrum, & æquitatis causa, ne cogentur domini vel patres per singula momenta species & causas peculiorum inquirere, vt docet PAPINIANVS in *l. 44. §. 1. ff. de acqu. vel am. poss.* Non itaque producendum est hoc ius ad alias causas, quasi ex iis quoque ignorantibus dominis vel patribus acquireretur, quod ex sola ratione, quam peculia suggerunt, receptum est: multo minus id producendum est ita, vt res per procuratorem possessa ignorantibus domino vsucapiatur, *l. 47. ff. de vsuc.* Sic, quod in seruo putatio bona fide possessio iuris est, vt ex re dominica vel ex operis eius domino acquiratur, id minime trahendum est in argumentum filii putatiui, quem quis in potestate sua esse existimauit, cum arrogatio non iure interuenisset: quia non tanta est necessitas sustinendæ acquisitionis per filium putatiuum, vt est per seruum: & propter assiduam comparationem seruorum illud statui, publice interfuit; non autem tam facilis, frequens adoptio vel arrogatio filiorum est, *l. 44. pr. ff. de vsuc.* Ita, quod in fideicommissaria libertate iuris est, fauore libertatis singulari, vt deficiente licet conditione ea præstanda sit; ad cetera fideicommissa non est porrigendum *l. 23. §. 3. l. 41. §. 9. ff. de fideic. libr.* Sic de iure singulari beneficii, quod vocant, competentia, quatenus id donatori competit, annotabo ad fragm. III. (§. 6.) illud non proferendum esse ad personas alias, ob commiserationem vel maxime ampliori beneficio dignas. Sic, licet, quod nostrum non est, iure singulari transferamus ad alios, quod in vsufructu cedendo placuit, vt PAVLLVS docet in fragmento sequenti, id tamen non est proferendum ad legatum, quo vsufructus seruitutis constituendæ relinquitur, vt subsistat; non solum, quia seruitus, cuius vsufructus legatur, neque est in bonis, neque ex bonis, imo vero plane non existit, vt pote nondum constituta, sed & quia feruitus seruitu-

vitutis esse non potest, *l. 1. ff. de usu & usuf. leg. l. 33. in fin. ff. de S. R. P.*

§. XII.

Vicissim potest exemplo vno alteroque ostendi, vti ius singulare proferatur ad familia, propter singularem & eandem, propter quam introductum est, rationem. Ita vsufructus a proprietario potest pignori hypothecæ dari, quamuis ipse vsufructum non habeat *l. 11. §. 2. ff. de pignor. l. 15. pr. ff. eod. l. 1. C. si pign. dar.* quia & quæ nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecæ dari possunt, *d. l. 115. pr. ff. de pignor.* & porro vsufructus a nudæ proprietatis domino legari potest, *l. 72. ff. de usuf.* quia ius & spes recipiendi vsufructus potest legari, *l. 24. l. 71. ff. de leg. 1. l. 66. §. 6. ff. de leg. 2.* plane ex eadem ratione, ex qua vsufructus, quem non habet, a proprietatis domino cedi potest. (vid. ad fragm. II. §. 6.) Sic, quod in marito constitutum est, vt conuentus ab vxore ex quocunque contractu non ultra facultates condemnatur, in persona mulieris æqua lance seruari, eadem æquitatis suggerit ratio, ut loquitur **MODESTINVS** in *l. 20. ff. de re iud.* Et idem competentie beneficium, quod marito aduersus uxorem datur, ad socerum extenditur: quia eadem suppetit honoris & propinquitatis ratio, *l. 21. ff. de re iud.* & similem ob causam illo beneficio gaudet socii non tantum vniversorum bonorum, sed & vnus rei; *hoc enim summam rationem habet*, verba sunt **VLPIANI**, *cum societas ius quodammodo fraternitatis in se habeat*, *l. 63. ff. pr. pro soc.* Satisque hinc constat, non inuito iure Romano singulare illud ius beneficii competentie, interpretatione Iureconsultorum, vsuque fori, hodie tribui Clericis, Doctoribus, Nobilibus, aliisque personis illustribus, & Magistratibus ciuitatum obætarum, quibus singulis non minus publicus subuenire videtur fauor, ob officia præstita, vel adhuc præstanda & ob dignitatem ipsorum, quam militibus armatis, *l. 18. ff. de re iud. Conf. l. 1. 3. 4. C. de Advoc. din. iud.*

FRAG.

FRAGMENTVM II.

Quod nostrum non est, transferemus ad alios: veluti is, qui fundum habet, quanquam vsufructum non habeat, tamen vsufructum cedere potest. L. LXIII. ff. de vsufructu.

§. I.

Notum est, quod PAVLLO impingitur vulgo, summae obscuritatis vitium, ita, vt PAVLLINVM scribendi genus, id est, implicatum, obscurum, ambiguum ac tortuosum, olim in prouerbium abierit. *Eius vniuersae leges, dicit IO. BERTRANDVS in vita IVL. PAVLLI, ita obscurae, ambiguae, verborumque tenebris inuolutae sunt, vt id, quod de Chryssippo Cicero, de diuinat. scripsit, de PAVLLO dicere verissime possimus, eum totum hoc volumen impleuisse oraculis flexilouis & obscuris, vt interpres egeat interprete, & fors ipsa referenda sit ad sortes.* Notauit obscuritatem PAVLLI etiam FRANC. DVARENVS in *comm. ad l. 132. ff. de V. O.* notauit quoque GVIL. GROTIVS in *ejus vita.* Verum iam hodie melius videtur praestantioribus Iuris Interpretibus, obscuritates illas in plerisque PAVLLI locis non tam assignari debere culpae scribentis, quam culpa non assequentium; meritoque Vir III. ANTON. SCHVLTINGIVS patrociniū praestitit PAVLLO, ad BERTRANDI nimiam illam ac illiberalem censuram subiiciens, *paucas tantummodo, quas ille vniuersas dicit, leges difficiles esse, plerasque non difficiles.*

les. Multis locis fingitur crux, vbi PAVLLVS crucem non figit, & difficilis sæpenumero fit eius sensus, dum nodus in scirpo quæritur. Occupatis opinione obscuritatis animis, eam quandoque interpretes ingerunt absque causa PAVLLO, quem vix decere putant, alicubi non obscurum esse. Potest & hoc alterum fragmentum de iure singulari tibi tenebras offundere; potest Sophista PAVLLVS in eo tibi videri, si quidem aspernaris simplicitatem, atque ipse maus aliquod ænigma, quam exemplum, quod refertur, iuris singularis, hoc loco proponi.

§. II.

Id iam dixi, PAVLLVM in primis huius fragmenti verbis formare antichesin, siue positionem regulæ iuris contrariam. *Quod nostrum non est, dicit, transferemus ad alios:* cum regula iuris sit: *Nemo ad alium transferre potest, quod ipse non habet, l. 54. ff. de R. I.* Vnde nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit, *l. 120.* nec debet quis melioris conditionis esse; quam auctor eius, a quo ius in ipsum transit, *l. 175. §. 1. ff. de R. I.* & plerumque emtoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris, *l. 156. §. 3. ff. eod.* Sit igitur nulla dubitatio, contra hanc ipsam iuris regulam PAVLLVM constituere enunciationem iuris singularis, quam sic accipiemus: *Potest quis certo casu ad alterum transferre, quod ipse non habet,* hoc est, quod alterius est. Hac spectata simplicitate, non existimabimus, PAVLLVM id dicere: *Quod nostrum non est, in certa forma, vel certa ratione, hoc in alia forma, vel alia ratione, qua tamen nostrum est, transferemus ad alios;* neque sic accipiemus verba: *Quod nostrum non est,* vt significant, *quod plane non est,* ac proinde nec nostrum est, neque aliorum. Illo intellectu Sophistam faceremus PAVLLVM; altero fingeremus ius, non singulare, sed absurdum, quasi quis cedat, quod non modo non habet, sed quod ne quidem est.

C

§. III.

§. III.

*Is, qui fundum habet, quanquam vsumfructum non habeat, inquit Iurisconsultus. Intelligit dominum fundi, l. 15. pr. ff. de pignor. dominum proprietatis, vel proprietarium, l. 11. §. 2. ff. eod. dominum nudæ proprietatis, l. 72. ff. de vsuf. qui solam proprietatem habet, l. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog. Vsumfructus enim, constituta eius seruitute, deducitur, ac separatur a proprietate, l. 78. ff. de iur. dot. l. 3. §. 2. l. 6. ff. de vsufr. §. 1. l. eod. t. Quare adeo nihil iuris est proprietario in vsumfructu, vt, vti frui ius sibi esse, intendere nequeat: de suo quippe, non de alieno iure, quemcunque agere oportet, l. 5. pr. ff. si vsufr. pet. vtque nulla ratione possit deterior vsumfructus conditionem facere, ne quidem consentiente fructuario, l. 15. §. 6. & 7. ff. de vsufr. Res protrita est distinctio vsumfructus, in causalem & formalem, seu, quam elegantissime expressit M. AVR. GALVANVS, *Diff. de vsufr. c. 3. §. 5.* in vsumfructum coniunctum & separatum, coniunctum scilicet cum proprietate, vel ab eadem separatum, sicut fere locuti sunt Iuris Auctores, IVLIANVS, in l. 4. ff. de vsufr. accresc. *Habemus ego & Meuius trientes in vsumfructu, unus triens (proprietarii) proprietate miscbitur; PAVLVS in l. 126. §. 1. ff. de V. O. Et minus est in eo vsumfructu, quem per se quis promisit, quam in eo, qui proprietatem comitatur: VLPIANVS in d. l. 5. pr. ff. si vsuf. pet. Qui habet proprietatem, vtendi, fruendi ius separatum (id est, proprium vsumfructum) non habet. Verum hæc distinctio ita accipienda est, vt nihilominus vnicum, eumque proprie dictum, vsumfructum dari sentiamus, illum scilicet, qui seiunctus est a proprietate, seu qui ab ea separationem recipit, vt dicitur in §. 1. l. de vsufr. Is demum est, cui conuenit definitio vsumfructus in l. 1. ff. & pr. l. eod. t. qui est seruitus, l. 1. ff. de seruit. ita, vt, quamuis habeat quis vtendi fruendi facultatem, non ideo tamen dicatur habere vsumfructum, si careat seruitute, cuius census sunt emphyteuta, bonæ fr-*
dei*

dei possessor, conductor, & similes, quibus, licet vtantur, fruantur, nullus vsusfructus vsquam tributus legitur in Quiritia Iurisprudencia. Porro, quia proprietatis dominus in re propria seruitutem habere non potest, neque realem, *l. 26. ff. de S. P. V.* neque personalem, *l. 5. pr. ff. si vsufr. per.* ipse vsumfructum suæ rei habere proprie dici nequit. Vsumfructum igitur, quem Iureconsulti proprietati admixtum, vel proprietatis comitem *dd. ll.* vocarunt, improprie ita vocatum intelligimus, quoniam vtendi fruendi facultas, quæ est proprietatis domino, dat locum & originem vsusfructui proprio, qui, simul ac constitutus est, separatur a proprietate, & dum finitur, ad eandem reuertitur, *l. 3. §. 23. ff. de vsufr.* Sic & pariter vtendi & fruendi facultas, (non ipsa seruitus vsusfructus) quam fructuarius in extraneum alienauit, vt cognata vsusfructui, a quo producitur, improprie vocatur vsusfructus, *l. 67. ff. de vsufr. l. 8. §. ult. ff. de peric. & comm. rei vend. §. 1. l. de vsu & habit.* Vid. GALVANVS *l. c. §. 1. & 2.* Itaque vnicus est vsusfructus proprie dictus, qui est seruitus, ac propterea non est pars domini, sed ius vtendi, fruendi, quod separatum est a proprietate, quodque apud solum fructuarium consistit, in quo nihil iuris est proprietario, *d. l. 5. ff. si vsufr. per.* Atque hoc est adiciendum, vsumfructum, qui dicitur causalis, siue coniunctus, desinere illico esse partem proprietatis, cum ab ea distinguitur, & induere naturam seruitutis, siue vsusfructus formalis ac separati, quam eo vsque retinet, dum, finita seruitute, velut postliminio ad suam pristinam indolem vsusfructus causalis reuertatur, postquam cum dominio rursus coniunctus est *d. l. 3. §. 3. & ff. de vsufr. §. 1. & ult. l. eod.* GALVAN. *l. c. cap. 24. §. 6.*

§. IV.

Negat itaque PAVLLVS, proprietarium habere vsumfructum, quod eius seruitus constituta durat; negat, inquam, ipsum habere vsumfructum formalem, siue separatum

tum, quippe quem dominus nunquam habere potest; negat quoque, cum habere interea temporis vsumfructum causalem, siue, qui coniunctus esse naturaliter solet cum proprietate. Quomodo enim haberet vsumfructum, qui, vt dictum est, mutata tantisper sui natura, est apud fructuarium, tanquam seruitus, & in dominio fructuarii, *l. 5. pr. ff. si vsufr. pet. §. 2. l. de Actiō.* Et quomodo vsusfructus separationem recipere & reuerti ad proprietatem recte diceretur, si in quacunque forma esset apud dominum proprietatis illo tempore, cum, seruitus vsusfructus constituta existit? Hoc ergo, quem multis declaravi, simplici & iuri ciuili conuenientissimo, sensu dixit PAVLLVS: *Is, qui fundum (nudo proprietatis iure) habet, vsumfructum (qui seiunctus est a proprietate,) non habet.* Ita plane non est, quare ei affingamus dubiam & fallacem enuntiationem, & quæ nec satis conueniat cum arte iuris, talem: *Is, qui fundum habet, i. e. vsumfructum causalem, vsumfructum non habet, i. e. formalem, quam sententiam effinxit VLR. HVBERS, prelect. Iur. Ciu. ad t. ff. de vsufr. §. 2.* Neque altera magis locum habet interpretatio, quæ placuit Ill. THOMASIO in Schol. ad d. §. scilicet, *dominum, qui vna cum proprietate habet potestatem videnti re sua, vsumfructum, vt seruitutem non habere, plane eodem modo, quo dici posset: eum, qui fundum habet, facultatem eundi, ambulandi habere in suo, seruitutem itineris non habere.* Nam, qui fundum habet, intelligitur PAVLLO, non dominus plenæ proprietatis, sed nudæ proprietatis, qui eam solam habet, separato vsusfructu, quo sensu *dominus fundi* in *l. 5. pr. ff. si vsufr. pet. l. 15. pr. ff. de pignor.* & compluribus aliis locis, atque in hoc nostro fragmento satis manifesto dicitur. Et quale hoc pacto enarraret Iureconsultus exemplum iuris singularis, si diceret: *Is, qui fundum iure pleni domini habet, nulla existente seruitute vsusfructus, quanquam vsumfructum, vt seruitutem, non habeat, tamen seruitutem vsusfructus cedere potest.*

potest. Siue enim oportet accipias vocabulum cessionis latiori sensu, vt quamuis alienationem, vel constitutionem iuris significet, & habeas ius commune ac vulgare, cuius perplura exempla, ab intentione PAVLLI prorsus aliena, recenset Ill. THOMASIVS, *d. l. siue inelligas cessionem in iure, stricte dictam, & solennem alienationis modum, & absurdum erit, cedi, quod plane non existit.* Auctores habeo grauissimos in amplectenda simplici sententia loci PAVLLINI, IAC. CUIACIVM *in not. post. ad h. l. 63. ff. de vsufr. GALVANVM, de vsufr. cap. 39. §. 2. DIONYS. GOTHOFREDVM in not. ad h. l.* Doctæ vero notauit incommoda interpretationis contrariæ V. Cl. GEORG. CHRIST. GEBAVERVS *in Annot. ad prælect. iur. ciu. HVBER. l. c.*

§. V.

Dominus fundi, quamuis vsufructum non habeat, quem habet fructuarius, tamen vsufructum cedere, & sic, quod non est suum, transferre ad alium potest. Cedere potest, siue intelligas verbum cessionis lato isto significato, quo cessionem, seu translationem quameunque denotat: cedere quippe nihil aliud est, quam concedere, ISIDOR. *lib. IV. orig. cap. 15.* quo sensu de translatione minus solenni & quasi traditione, post sublatum a IVSTINIANO Ius Quiritarium *l. vn. C. de nud. iur. Quir. toll.* intelligere debemus loca iuris ciuilibus, in quibus tam frequenter dicuntur cedi seruitutes; siue etiam intelligas cessionem illam in iure solennem, qua res cum mancipi, tum nec mancipi, & incorporales, ac in specie vsufructus, transferebantur, VLPIAN. *Fragm. XIX. §. 9. & 11.* quo modo acquisitum ius vsufructus olim proprie erat dominium vsufructus, & opponebatur possessioni eius, quæ sola acquirebatur, si modo acquirendi iuris gentium, non ciuili, vsufructus concessus fuisset *l. 3. ff. si vsufr. pet. l. 1. pr. ff. quib. mod. vsufr. vel vsi. am. l. 9. §. 1. ff.*

vsufr. quem. cau. Vid. SCHVLTING. ad *d. Fr. Vlpiani*, GERH. NOODT, *de vsufr. Lib. II. cap. 2.* Cedere igitur, & quibuscunque modis constituitur vsusfructus, pactionibus, stipulationibus, *l. 3. §. 1. ff. de vsufr.* sequente in iure cessione, *d. Fr. Vlpian. & dd. ll. ff.* vel sequente quasi traditione, *l. 11. §. 1. ff. de Public. in rem act.* transferre proprietarius in alterum potest vsusfructum, qui sua die reuertitur ad proprietatem, & vt verbo dicam, transferre vsusfructum ad alium potest in spem & euentum consolidationis. In huius euentus diem quasi traditio differtur, quo die demum incipit vsusfructus nouus, velut ex die constitutus, *l. 4. ff. de vsufr.* ante quem vsusfructus promissus non debetur: neque vero eius dies cedit, priusquam fructuarius vti frui possit, *l. vn. pr. & §. 1. ff. quando dies vsufr.*

§. VI.

Scilicet, vt in rationem penitus descendam huius iuris singularis, finito iure fructuarii, ad proprietatem reuertitur vsusfructus, qui separationem ab ea hactenus receperat, i. e. ipse vsusfructus formalis, qui dum redintegratur cum proprietate, contingit consolidatio, *l. 3. pr. ff. de vsufr. accresc. §. 4. l. de vsufr.* Redit, inquam, ad proprietatem vsusfructus formalis, non causalis, prout accurate docet GALVANVS, *c. 38. §. 9.* Quare, si nemini vsusfructum de nouo & in hunc euentum consolidationis constituit proprietarius, vsusfructus ad proprietatem reuerfus & cum ea coniunctus rursus induit veterem vsusfructus causalis, siue facultatis vtendi fruendi re propria, formam. At, si constituit proprietarius alteri vsusfructum in spem, siue ex die consolidationis, plane non desinit existere vsusfructus formalis, verum iam transit ad fructuarium nouum. Ex quo dilucefcit, proprietarium, dum vsusfructum, quem non habet, ad alium transfert, minime omnium transferre ius, quod non

non existit, verum, transferre ius, quod existit apud fructuarium, & quod suo tempore ad se rediturum erat. Hoc vt ita procedat, facit, quod vsusfructus potest vel presens, vel ex die dari, *l. 4. ff. de vsufr.* in quo, quemadmodum in plerisque aliis casibus, auctore *ibidem* PAVLLO, vsusfructus est pars, h. e. instar, & similitudinem habet *dominii*, quippe quod vel pure vel ex die dari potest: ceu intelligendam esse *d. l. 4.* post GALVANVM *cap. 26. §. 6.* confirmavit NOODT, *de vsufr. lib. 1. cap. 2.* Potest vero dominus proprietatis vsusfructum transferre illo tempore, quo ipse vsusfructum non habet, quia ius habet recipiendi vsusfructum suo tempore. Ac proinde fingitur iure singulari vsusfructum illo tempore iam habere, quo eum transfert in euentum consolidationis. Non enim interest cessionarii, vsusfructum, hoc modo sibi cessum, nondum esse cedentis; quoniam ipsi vsusfructus cessus est ex die, quo si ipse constituatur in vsufructu sibi cesso, id ei sufficit. Pariter nec interest fructuarii, vsusfructum a domino proprietatis saltem in euentum finiti vsusfructus cedi: quippe ea re conditio vtendi fruendi nihilo redditur deterior. Vtilitatis igitur causa, quæ vtique spectatur in iure vsusfructus, & cuius gratia ipsum ius singulare quasi vsusfructus introductum est, *§. 3. l. de vsufr.* habetur, ac si vsusfructus, certo die restituendus, iam esset apud proprietarium, quando eum cedit, vel transfert ex illo die. Habet vsusfructus originem & simul fauorem ab vltimis voluntatibus, quarum singularis iure Romano existimatur vtilitas, & quas tueri æquum & iustum videbatur. Hac æquitate siue vtilitate suadente, sicut cedere, ita & legare vsusfructum potest nuda proprietatis dominus *l. 72. ff. de vsufr.* & simili ratione receptum est, quod vsusfructus, super re ab initio inutili constitutus, valeat propter futuram vtilitatem, vt docent *l. 52. §. 3. l. 55. l. 61. in fin. ff. de vsufr.*

§ VII.

§. VII.

Imitantur hoc, quod in vsufructu iuris est, consuetudines feudorum in concedendis, quas vocant, expectatiuis, & facienda inuestitura abusiua. Illa enim est promissio domini directi, qua feudum a vasallo possessum sub conditione, si sibi fuerit apertum, in tertium confert, seque ad inuestituram de eo faciendam obligat, *I. Feud. 3. II. Feud. 26. §. 2. II. Feud. 35.* Qualis expectatiua moribus Germanorum vel in certum aliquod beneficium, vel in genere conceditur, cum promittitur, quod primum fuerit apertum: *IVS FEVD. SAX. c. VII. SCHILTER. ad cap. XII. Iur. Feud. Aleman.* Inuestitura vero abusiua siue conditionali dominus feudum dirigens in tempus, quo apertum erit, dominium vile transfert in inuestitum, vt possessionem feudi, existente conditione, possit apprehendere, *II. Feud. 8. & 26. c. 2. SCHILTER. ad cap. XII. Iur. Feud. Alem.* Et cum Viri Placentini olim iniquiores essent aduersus eiusmodi inuestituras, vici Mediolanensium vtillior sententia, *nihil distare, vtrum inuestitura facta sit sciente vel ignorante, cuius erat feudum, dummodo eo viuente nullum detrimentum de feudo suo sibi contingat, I. Feud. 27.* Itaque, si fiat inuestitura de feudo nondum aperto, sed sub conditione, opus non est consensu vasalli, etiamsi liberos, aut alios successores habeat: quippe nemini præiudicium affertur, *II. Feud. 26. c. 2. II. Feud. 35.* Idemque obtinet *IVRE FEVD. SAX. cap. X.* vtut consensum requirat *IVS ALEMANNICVM, cap. XIX.* Atque sic, quod non habet dominus eo tempore, quo expectatiam dar, vel in euentum inuestit, vile dominium, siue vsufructus beneficiarius, recte conceditur quoque in spem consolidationis futurae.

FRAG-



FRAGMENTVM III.

Maritus facere posse creditur, nullo deducto ære alieno: item socius, item patronus, parensue. At is, qui ex donatione conuenietur, omni ære alieno deducto facere posse intelligitur.

L. LIV. ff. solut. matrim.

§. I.

DE computatione eius, quatenus quis facere potest, hoc est fragmentum. Et ipsum hoc beneficium, quod singulares ob rationes quibusdam datur, vt ne teneantur in solidum, nec vltra, quam facere possunt, quod *beneficium competentie* vocamus, est vel maxime ius singulare. Iuris regula est, *omnem actionem in solidum*, id est, *in omne id, quod debetur, dari*, pr. l. de Action. & quemlibet debitorem in solidum condemnandum, captisque & distractis pignoribus iudicatum facere cogendum esse, l. 84. ff. de tur. dot. Suasit vtilitas, vt recederetur ab isto rigore, atque humanius ageretur, ob *propinquitatem*, cum parentibus, patronis, forceris, coniugibus, fratribus &, qui fratribus æquiparantur, focis, l. 16. l. 17. l. 10. l. 22. l. 30. ff. de re iud. l. 63 ff. pro soc. ob *militiam*, cum militibus, l. 6. l. 18. de re iud. ob *commiserationem*, cum exheredatis, vel paterna hereditate abstinentibus, vel in adoptionem datis, vel in minima parte heredibus institutis filiis familiarum, l. 2. et i. ff. quod cum eo, qui in al. por. nec non cum eis, qui bonis cesserunt, l. 4. l. 6. l. 7. ff.

D

de

de cess. bon. §. ult. l. de Action. denique, ob liberalitatem cum donatoribus, l. 19. §. 1. l. 30. ff. de re iud. l. 23. ff. de R. I. Itaque hæ personæ non tenentur ultra, quam facere possunt, hoc est, ita sunt condemnandæ, vt eis relinquatur aliquid sufficiens ad honestam exhibitionem victus & amictus, l. 22. pr. l. 30. ff. de re iud. In condemnatione personarum, que in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant, ait PAVLLVS, l. 173. ff. de R. I.

§. II.

Quatenus vero quis facere possit, quomodo id sit computandum, regulam constituit VLPIANVS in l. 16. ff. de re iud. *Sunt, qui in id, quod facere possunt, conueniuntur, id est, non deducto ære alieno.* Et eam proponit PAVLLVS in hoc fragmento, exemplis *mariti, socii, patroni & parentis.* Maritus hoc ius exercet, conuentus de dote, seu rei vxoriæ nomine, vt ne dotem integram præstare cogatur, si inde futurum sit, vt egeat. Hinc relatum est hoc fragmentum PAVLLI ad *titulum Digest. soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.* Illustrauit id mariti beneficium PAVLLVS diligenter libro VI. ad *Plautium*, vt constat ex l. 19. l. 21. l. 23. ff. de re iud. libro X. ad *Edictum*, vnde sumta est l. 17. ff. eod. & præcipue libro *singulari de dotis repetitione*, ex quo vnica restat l. 68. ff. de R. I. At maritus pariter, ac reliqui hoc iure singulari gaudentes, condemnantur, quantum facere possunt, nullo deducto ære alieno; hoc est, si conueniantur, & facultates eorum debitum superent, in solidum tenentur, etiamsi obtendant, habere se creditores alios, quibus cum satisfaciendum erit, ad egestatem perducantur. *Occupantis enim melior est conditio*, inquit PAVLLVS, l. 19. pr. ff. de re iud. hoc est, creditor, qui prius sibi vigilauit & expertus est, totum aufert, quod sibi debetur, l. 24. ff. *que in fr. cred.*, ita, vt nec hoc deducatur, quod eiusdem conditionis hominibus, aduersus quos id beneficium quoque compe-

competit, debetur, *d. l. 19. pr. & §. 1.* Et hæc est regula beneficii competentæ.

§. III.

In donatore obtinet iterum ius singulare contra tenorem iuris singularis, quem modo significavi, nimirum, *ut ex donatione conuentus, omni ære alieno deducto, facere posse intelligatur.* Sic PAVLLVS notat hoc fragmento: & plenius ipse descripsit hoc ius singulare donatoris in *l. 19. §. 1. ff. de re iud.* quæ est ex libro XVII. ad *Plautium*, & in *l. 49. ff. d. t.* quæ est ex libro II. *Manualium.* Breuiter huius iuris vis huc redit, vt conuentus ex causa donationis, quamuis facultates eius superent summam donatam, minime teneatur in solidum, sed primum deducatur æs alienum, deinde & ipsius ratio habeatur, vt ipsi aliquid ad vitam quotidianam, salua dignitate, sufficiens relinquatur, *l. 19. §. 1. l. 30. l. 49. ff. de re iud.* Ergo donator solus in tantum facere posse dicitur, in quantum patitur æs alienum, & ipsi superest, vnde viuat. Originem habet hoc ius singulare a Rescripto DIVI PII, quod refertur in *l. 12. ff. de donat. & l. 33. ff. de iure dot.* ex qua exscripta est *l. 28. ff. de R. l.* Nec videtur id Rescriptum fuisse speciale, ad consultationem iudicis alicuius, vel ad priuati preces, verum generalis constitutio: quippe & expresse Constitutio vocatur in *l. 41. §. ult. ff. de re iud.* Memoratur etiam Diui Pii Constitutio in *l. 20. ff. eod.* qua marito quoque ex aliis causis, quam dotis nomine, ab vxore conuento beneficium competentæ datur; quod vtique videtur caput fuisse eiusdem Constitutionis, siue, vt pluribus locis dicitur, Rescripti. Atque propterea *legem 28. ff. de R. l.* IACOBVS CUIACIVS ad *d. l.* de regularum numero expungendam duxit, quoniam Constitutioni Principali accepto feratur, & priuilegium singulare contineat.

§. IV.

Age, videamus vtilitatem, propter quam hoc ius singulare auctoritate Principis constituentis introductum est

D 2

Pinguis

Pinguis donatori succurrere debemus, ait PAVLLVS, quam ei, qui verum debitum persolvere compellitur, l. 49. ff. de re iud. Ne liberalitate sua inops fieri periclitetur, vt subiicitur ex TRYPHONINO, l. sequ. 50. d. 2. Ergo repetita est huius iuris ratio ab æquitate; quoniam scilicet durum nimis & illiberale foret, totum, quod donator in bonis habet, extorquere, hoc est, donationem, quæ facultates ipsius exhauriat, l. 30. ff. de re iud. ad vltimum quadrantem exigere velle, cum debeat ex sola, & mera liberalitate; adeoque beneficentia eius & effusa voluntas verteret in ipsius perniciem. Nimum quoque profecto futurum esset, parem causam facere donatarii, qui lucrum captat, ac ceterorum creditorum, qui suum petunt, & de damno vitando certant. Imò vero utilitas creditorum suavit hoc, vt deducto ære alieno demum facere posse intelligatur donator; eaque est proprie causa & ratio huius iuris singularis. Nonne enim iniquissimum foret, creditoribus, secutis fidem donatoris, qui rem donatam non tradidit, sed retinuit, tanquam propria eius foret, ius suum præcipi, obtentu donationis, quam ii, qui cum donatore contraxerunt, ignorarunt? Vid. IAC. GOTHOFREDVS, ad l. 173. ff. de R. I.

§. V.

Qui ex donatione conuenietur, scribit PAVLLVS. Veram & simplicem donationem intelligere debemus. Id enim demum donari creditur, quod nullo iure cogente conceditur, l. 82. ff. de R. I. & qui ex liberalitate conueniuntur, beneficio Constitutionis gaudere, dixit VLPPIANVS, l. 33. ff. de iur. dot. Quæcunque igitur illa tandem sit, modo sit donatio propria, & mera liberalitas, hoc exigimus. Sic, qui dotis causa donauit, condemnari debet, vt alius quisque donator, d. l. 33. Neque nocet alicui, quod eius liberalitas in constitutum deducta fuerit: *causam enim & originem constituti, non iudicii potestatem præuolare placuit*, l. 33. ff. de donat. Aliud fuerit, si ex secuta donationem delegatione

gatione quis conueniatur, vtut maxime res originem habeat a liberalitate, *d. l. 33. §. fin. l. 41. pr. ff. de re iud.* Hoc enim casu creditor suum negotium gerit, ideoque in solidum conuenit donatorem, qui in delegantem fuit liberalis. Vid. PAUL. BVSIVS, *Lib. III. Subtil. iur. cap. 9.* Neque locum habet beneficium, si ex donatione remuneratoria quis conueniatur. Non enim donatio videtur, quæ ob rem facta est, res secuta est, *l. 19. §. fin. & l. 34. ff. de donat.* & velut genus quoddam est permutationis, *l. 25. §. II. ff. de petit. hered.* Denique, qui dotem promisit ex necessitate, vt debitor, non conueniatur in quantum facere potest, nisi quatenus hoc iure gaudeat ob coniunctionem, seu propinquitatem, *d. l. 33. ff. de iur. dot.*

§. VI.

Qui ex donatione conueniatur, puta, quam ipse fecit. Quare in *l. 28. ff. de R. l.* legit HALOANDER: *qui ex liberalitate sua conueniuntur.* Ex aliena donatione conuentus in solidum tenetur. Ita seruatur in herede, *l. 12. & 15. ff. solut. matr.* quia beneficium competentia personale est, & cum persona extinguitur, *l. 13. ff. eod. l. 15. ff. de re iud. l. 68. ff. de R. l.* quamuis pollicitatio, eaque non ob honorem facta, deminutionem admittat in heredis persona, *l. 6. l. 9. ff. de pollicit.* Neque prodest beneficium donatoris fideiussori, *l. 24. pr. ff. de re iud.* Et, quoniam ius singulare non est producendum ad consequentias, *l. 14. ff. de LL.* beneficium singulare donatori competens nemini applicatur, qui verum debitum soluere compellitur, vtut maxime ob commiserationem eo dignus videatur. Hinc PAVLLVS discrete negauit, filiumfamilias exheredatum, vel qui se hereditate paterna abstinuit, ita facere posse existimari, vt is, qui ex donatione conuenitur: quia cessat ratio iuris singularis: ipse enim ex vero debito conuenitur, *l. 49. ff. de re iud.*

§. VII.

Verba: *Qui ex donatione conueniatur*, non ita tamen sunt

sunt accipienda, vt, si iam condemnatus ex liberalitate donator fuerit, actione indicati conuentus, non possit vti pinguiori illo iure, quasi iam non amplius conueniatur ex liberalitate, verum ex debito, *l. 33. pr. ff. de donat.* Quin potius utetur exceptione doli aduersus actionem indicati, vel executionem, si iudex ignorantia iuris lapsus donatorem condemnauerit in solidum, *l. 17. §. 2. ff. sol. matrim. l. 41. §. 2. ff. de re iud.* perinde vt de exceptionibus SCti Macedoniani & Velleiani responsum est, vt omissæ etiam in executione opponi possint, *l. 11. ff. ad SC. Maced.* At hæc ita, si ex donatione quis, nondum facta traditione, conueniatur: si traditio semel facta, & donator rei vindicatione conueniatur, quia tum pulsatur ex iure possessionis, restituit solidum, vt quiuis possessor, *l. 41. §. 1. ff. de re iud.*


§. VIII.

Videamus de casu, si donator liberalis fuit erga plures, adeoque diuersis debet ex simili causa, donationis scilicet, an donatario, qui primus eum conuenit, præstetur donatum, deducta ceterarum donationum summa, quasi ære alieno? Et dicendum est, non deduci reliquas donationes, quæ vtique non sunt verum debitum, nec vere æs alienum; deinde, quia inter eos, quibus ex simili causa pecunia debetur, occupantis potior erit causa: ita ipse PAVLLVS in *l. 19. §. 1. ff. de re iud.* Quapropter is, qui prior egit, donatarius totum auferet, ita tamen donatoris saltem habebitur ratio, ne inops fieri periclitetur, *d. l. 19. §. 1. l. 50. ff. de re iud.* Ceterum, quin cesset beneficium competentæ in ipsius donatoris præiudicium, quando ei renuntiauit, non est dubium: quia iuri pro se introducto quilibet renuntiare potest, *l. 14. ff. de minor. l. 29. C. de pact.* neque renuntiatio huius beneficii effectu caret, nisi, quoties ex reuerentiæ, aut sanguinis ratione tributum inuenitur, *l. 14. §. 1. ff. sol. matrim. l. 52. ff. de re iud.* Atque adeo operabitur renuntiatio, vt quidem ipsius donatoris non habeatur ratio, *l. 69. ff. de R. I.*
non

non tamen pariter, vt præripiatur ius creditorum, de quo supra monui, ita, vt minime deducerentur vera debita & æs alienum: quippe hoc respectu tam amplum ius donatoris magis creditorum, quam ipsius fauore, introductum est. Vid. IAC. GOTHOFRED. *ad l. 173. ff. de R. I.* Priuatur itaque beneficio competentæ donator tantum ipse, sua renuntiatione: an vero, si donatarius ipsi alias de alimentis se prospecturum offert, forsitan laute satis, securitatem etiam eo nomine præstare velit? Minime. Neque enim inuito ius suum auferri debet: neque tum cessat ratio iuris singularis: quippe adhuc periclitatur inops fieri donator sua liberalitate: neque prospectum ipsi est æque, ac si retinet ex donatione, vnde se ipsum pro dignitate sustentet & exhibeat. Ita seculum est, vt magis eleganter, quam vere dicatur, *extra fortunam esse, quicquid liberalitate in alios confertur,* &, quod Poeta ait,

Quas dederis, solas semper habebis opes.

TANTVM.



THE GREAT BRITISH LIBRARY

THE GREAT BRITISH LIBRARY
LONDON

THE GREAT BRITISH LIBRARY



01 A 6680


ULB Halle 3
003 105 547




561

W 17







62.

AD
IVLII PAVLLI,
EX
LIBRO SINGVLARI
DE
IVRE SINGVLARI,
RELIQVA,
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV,
PRAESIDE
D. FRANCISCO CAROLO
CONRADI,
AD D. VI. FEBRVAR. *clb* *Is* *cc* *XXVIII.*
PVBLICE DISPVTABIT
AVCTOR
CHRISTIAN. GOTTLIEB SCHVLZE
MARCKLEBERG. MISN.

LIPSIÆ
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.